



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Sebastianus Mart. 20. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**A**NNO post CHRISTUM natum  
 LXXXVI. supra CC. Marcus &  
 Marcellianus Christiani milites ad de-  
 fectionem vehementer à parentibus soli-  
 citabantur. Enim verò interponere  
 hic Tribunus SEBASTIANUS, turpemque  
 à tam sanctis castris fugam omnibus vi-  
 ribus dissuadere. Dicenti cælum ap-  
 plausit, piúmque oratorem lumine suo  
 vestiit, simul vox insonuit ejuscemodii,  
*Nunquam non mecum eris.* Ab eo tempo-  
 re non jam fictum Æsculapium Romani  
 habuerunt. Ita omnes morbos pellere  
 SEBASTIANUS; ita doctè, dum corpori  
 medicinam faceret, animum quoque  
 morbidorum ad sanam fidem adducere.  
 Inter hos cum jam urbi etiam Præfectus  
 numeraretur, imperio Diocletiani male-  
 fani medicum suum sagittis confon-  
 diunt, confossum & prope exanimem  
 negligunt. Sed qui SEBASTIANI manu cu-  
 rare alios voluit, suâ SEBASTIANUM non  
 possit? imò verò adest ille incolumis, &  
 sub aspectum tyranni iterum se sistit;  
 mox tamen inter fustuarium fortem ani-  
 mam expirat, corpusque in cloacas abje-  
 ctum Lucinæ tumultandum committit.  
*Hæc ex Sur.* Caterùm ejus cranio hodie  
 Ebersperga Bojorum gloriatur, magnâ  
 semper illuc confluentium religione, lon-  
 gè



20. Ian. VITÆ SANCTORUM. 51  
gè tamen majori recedentium, ubi voto-  
rum damnati sunt, latitiã.

*O verè illum degenerem & omnis boni  
expertem, qui cœlestis vitæ amore non capi-  
tur; qui timet hanc perituram perdere, ut  
illam possit accipere, quia perire penitus  
non novit. Ex Orat. S. Sebast.*

S. NEOPHYTUS M. 20. Ian.

**I**Ta est, uti sua adolescentem etiam  
urticam acrimonia loquitur, ita suus  
nobilissimum quemque flosculum, cum  
primùm exoritur, odor terris cœloque  
prodit. Ita quem tibi pinximus, NEO-  
PHYTUS Nicæã Bithyniæ ori undus  
jam inde à puero sanctiore spiritu vi-  
sus est agi. Hic sub columbæ candore  
lectulum sæpenterò Divi volatu  
ambire: hic postquàm matri, quam ab  
eã nascendo acceperat, vitam reddi-  
disset, Dux ei in montem Olympum  
esse, speluncam hospiti monstrare, &  
à feris purgare. Ecquid porrò mirum,  
si post ipsum Nomen, Angelum etiam  
rutelarem tam habuit familiarem? Nam  
iste victum clienti suo ministrare;  
iste sub annum trecentimum, cum  
vale jam parentibus divino jussu di-  
xisset, opesque in pauperem turbam  
erogasset, ad tribunal Decii Impera-  
toris comes esse, testis virtuti clientis  
sui apud Superos, & præco futurus.

D 2

Ibi